Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 895
Quelle:
Copyright:

Archiepiſcopi videtur, quemque alii perperam Cardinalem dixerunt, adi *Oudinum* T. III. *col.* 474. *Ciaconium* T. II. *col.* 175. et *Eraſmi Gattulae Hiſt. Abbatiae Caſſin.* P. II. p. 484. *Venet.* 1733. f.

XIII. *fol.* 244. *Incipit Rethorica diuina Wilhelmi ſummi Cancellarij pariſyenſis.* Cancellarium fuiſſe *Guilelmum Arvernum*, illuſtre Academiae *Pariſ.* decus, nemo tradit, Epiſcopatu tamen Urbis illius ab anno 1228. ad a. mortis 1248. egregie functus eſt. Tractatus noſter, qui inter praecipua ejus Opera numeratur, et potiſſimum de virtute *Orationis* agit, diſtinctus in *Capita* LIV. incipit: *In ſacris ac ſacrificativis exercitationibus que et quanta ſit dignitas* &c. et finit: *ſed etiam impetratur ab ipſo gratia, quam nobis concedat* &c. Impreſſus extat tum ſeparatim cum Opuſculis *Ephrem ſ. l.* et *a.* 8. et *Pariſ.* 1516. 8. tum in Collect. *Opp. Venetiis* 1591. et *Aureliae* 1674. f.

XIV. *fol.* 328. absque inſcriptione tractatur haec Quaeſtio: *Vtrum epiſcopus uel plebanus licite poſſit populum ſibi commiſſum deſerere propter perſecutionem et alibi fugere.* Praemiſſis variis caſibus, in quibus extra caſum perſecutionis Grex deſeri poſſit, haec duo ſtabiliuntur: I. *Epiſcopus aut plebanus propter perſecutionem perſonalem ſibi imminentem poteſt licite fugere et populum deſerere.* II. *Propter perſecutionem fidei et iuſticie eccleſie dei ſibi et alijs ſuis ſubditis imminentem non poteſt licite fugere et ſubditos deſerere.* Tempus ſcriptionis ex his liquet: *Quia tamen omnes nunc per huſſitas impugnamur et in perſonis rebus et fide, vt experientia aſſidua edocet, quid nobis reſtat faciendum? Eſtne nobis fugiendum? Aio, quod non, ſed ſpem in deum ponere debemus, qui liberat de anguſtijs ſuos iuſtos et probos.* Quaeſtio vel hodie opportuna.

XV. *fol.* 333. praecedente Capp. Elencho *Incipit liber de Miſeria humane condicionis editus a lothario dyacono cardinali Sanctorum Sergi et bachi qui poſtea Innocencius papa 3° appellatus eſt.* Titulus hic prorſus, ut in Edit. *Schöpflinianа*, de qua, uti de toto hoc Opuſculo, jam et hoc, et praecedente *Vol.* egi. Manus hic Sec. XIV. eſt. In Praeloquio ad *Petrum* Ep. *Portuenſ.* rite legitur *dignitatem humane nature.* Inſcriptio frontis et calcis habent: *Liber de contemptu mundi.*

XVI. *fol.* 351. ἀνεπιγραφως jam alias relatus Dialogus Virtutum et Vitiorum, qui infit et finit:

Vos qui ſub chriſto mundo certatis in iſto
Diſcite virtutum conflictus et viciorum &c. —
In mundique ſtatu cum preclaro comitatu.

XVII. *fol. eod.* p. 2. rurſus absque inſcriptione: *Ecce videntes clamabunt foris* &c. quod eſt initium Praeloquii *Guilelmi de S. Amore*